



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**[Claudio Lalano Sodali Svo I. B. Santolius V.]**

**Santeul, Jean de**

**[S.I.], 1670**

Armandi Gramontii Comitis Guischii Tumulus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13421**

\* \* \* \* \*

ARMANDI GRAMONTII  
COMITIS GUISCHII  
T U M U L U S.

**Q**uem neque Mars ferro, quem nec Thetis  
omnibus undis,  
Non tranati amnes, mediove incendia ponit,  
Hunc Juvenem extinxit lenti vis tabida morbi;  
Tantane tam tristi debetur victima letho?

LANDRECTI ad muros hunc vidimus arma-  
frementem,  
Rumpentemque aditus, nil tale ferentibus annis;  
Prima rudimenta & virtutis signa futuræ.  
Inde VALENCENNIS, hinc obsidione premebat  
DUNKERCAM, mox CAMERACUM, infrænesque  
subegit

MARSALIAE populos, bello præfectus & armis.  
Saucius ille manum, non segnior ibat in hostem:  
Hâc, Belgas, genus acre, truces hâc, stravit Iberos.  
Interdum positis si qua otia carperet armis,  
Ille graves Martis lenibat Apolline curas.

B ij

Mox ad castra : datam sed pacto fœdere pacem  
 Ut vidit , juvat ire , atque extera quærere bella.  
 Sauromatas adiit , gelidoque sub axe Polonos ,  
 Seque Ducem probat , & Regem jam castra pe-  
 tebant ,

Unum omnes. Patrias remeat sed lætior arces  
 Francigenūm læfos armis ulturus honores.

Ære cavo Mars insonuit , quā impervius obstat  
 Rhenus aquis, immane furens , ubi Cæsaris umbra  
 Errat adhuc circum-volitans. Stant agmina tutæ  
 Objectu telorum , & non superabilis undæ.

Litore in adverso. Contra furit acriùs ira  
 Necquicquam , opposito tardatus flumine Gallus.  
 Audax ante omnes rapidis se credidit undis  
**GUISCHIUS** , & domito victor super incubat amni  
 Agmen agens equitum , sequitur tum Galica pubes  
 Insuetum per iter. Viætæ formidine gentes  
 Ad sonitum Victoris , agros urbesque relinquunt.

Postque tot exhaustos terraque marique labores,  
 Ut Juvenem cælo, & magnis Heroibus addat  
 Gloria, tot partis nimium decepta triumphis ,  
 Ante diem , aurato transvexit ad æthera curru.